

Caput vigesimum primum.

301

24. S. Sabina fuit imitarium Cælaris. *Hic sanctam Sabinam pro sancta Balbina positam æstimo. Imitarium Cæsaris legas Mutatorium Cæsaris, quod in clivo sub hodierna sancta Balbina situm erat.*

25. In Illo monte. *Ilum vocat Quirinalem, nescio an alias ita dictus occurrat.*

26. De templo Fauni diximus, ubi de S. Stephano Rotundo.

27. Regem qui parva persona fuerat, retro ligatis manibus ficuti eum ceperat, sub ungula equi memorialiter destinaverunt. *Hic de insigni equestri statua M. Aurelii agitur, quam nugacissimus scriptor ignoti cuiusdam militis fuisse insulse fabulatur. Quam ipse coconaiam avem vocat, ea noctua est, quæ in equi iuba, si congruenti quidem ratione quis prospiciat, insidere videtur. Quod autem de captivo, quem ipse regem dicit, manibus a tergo revinctis, sub ungula equi prostrato, nescio an uspiam traditum sit. Neque potest, oculato testi, qui quæ ætate sua supererant recenset, negari fides. Captivum itaque huic equestri statuæ suppositum fuisse hinc ediscimus. Is quo translatus vel quo tempore amotus fuerit incertum; id solum compertum habemus, sæculo videlicet decimo tertio superfuisse.*

C A P U T X X I.

Iter Neapolim. Ginettorum monumenta Velitris. Bibliotheca Olivetanorum Neapoli. Musæum Eminentissimi Cardinalis Cantelmi. Bibliotheca D. Valletæ. Vesuvius mons. Bibliotheca S. Joannis de Carbonaria. Codex Evangeliorum in charta purpurea aureo charactere. Dioscoridis exemplar vetustissimum. Urna Sanfeliciorum. Inscriptio Græca restituta. Spelaum canis. Sulphuraria. De monte Novo. Bibliotheca S. Severini.

ANNO 1698. 24. Octobris, iter Neapolim capeffimus, Velitrasque ipsa die adventamus: ibi Ginettorum ædes infinitis pene veterum monumentis decoratæ visuntur; statuis videlicet iconibusque Imperatorum ac numinum, urnis item se-

P p iij